DE ACUPUNCTURA ALIQUID REFEREBAT MEDICAM...

Michele Marani

DE

ACUPUNCTURA

ALIQUID REFEREBAT

MEDICAM LAUREAM ASSECUTURUS

MICHAEL MARANI

VERONENSIS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINI

1842.

PADRE

A VOI

E ALLA CARA MEMORIA

DELL' OTTIMA GENITRICE

QUESTO

QUALUNQUE SIASI TRIBUTO

D' AFFETTUOSO ANIMO RICONOSCENTE

DE ACUPUNCTURA

Acupuncturae operatio, scilicet acuum in corpus infixio, quae quotidie a tot tantisque praeclarissimis medicinae cultoribus in curatione variorum morborum adhibetur, propter ejus mirabiles effectus inter praecipua therapeutica subsidia jure meritoque poni potest.

Primus cui laudes nostras tribuere debemus quod ipsam in Europam transtulerit fuit Ten Rhyne anno 1679, qui saepius in China et Japone eam vidit adplicari quasi specificum nonnullorum morborum. Ubi vero primam habuerit originem hoc nondum cognitum habemus, solum historia nobis testatur illis regionibus a remotissimis temporibus usque in usum fuisse. Praeter ergo tot tantaque praetiosissima pharmaca, quae ex China et Japone ad nos transferuntur, hoc quidem egregium remedium ab illis habemus. Ast ut fere omnes res novae etiam haec quamplurimos habuit adversarios et amicos et valde ejus activitas contestata fuit. Qua de re antequam ejus virtutem et indicationes statuam, optimum mihi videtur praeclariora facta nude exhibere.

Et ut aliquem ordinem in factis enunciandis sequar, juxta morborum sedem illa exponam.

Et primitus quamplurimae cephalalgiae acupuncturae sanationem debent; inter quas duas prae aliis a Cloquet curatas nostram postulant attentionem.

Vir quidam hoc laborabat morbo a decem octo annis, cujus pater probabiliter ex illo obierat. Dolores continui erant et quandoque etiam magnum intensitatis gradum adipiscebantur. Infigebatur acus in cutem frontis, morbi sedes, et per quatuor dies ibi remansit; symptomata dolorosa evanuerunt, et post duos menses circiter sanatio perfecta evasit.

Foemina quoedam a sex hebdomadis hemicrania conflictabatur, et haec adeo fortis et crucians erat ut ab initio usque morbi nec somnum, neque calmam diu noctuque ipsi concederetur. Visio erat fere omnino abolita, et oculus dexter aliquantisper strabismo detentus. Nondum acus duorum pollicum longitudinis in regione temporali dextera cutem feriebat, nam ibi erat sedes doloris, phoenomena dolorifica adaugebantur; post vero quadraginta minuta sanatio completa fuit, et post duos menses etiam integra et perdurans.

Doctor Bergamaschi pariter opificem quemdam sanavit, qui a sex mensibus dolore intensissimo cruciabatur ad regionem occipitalem, qui vero dolor ad maxillam superiorem sese extendebat, ad frontem, ad supercilia, et tardius subsequebantur etiam spasticae contractiones palpebrae dexterae et labii superioris, nec non retractio anguli dexteri oris. Accessus erant adeo vehementes, ut aeger sese occidere tentaret. Duo acus in regiones dolorificas infixae subitum levamen attulerunt. Supervenerunt imposterum duo alii accessus, sed nova operatio, mirabiliter morbum omnino debellavit.

Faciales nevralgias pariter omnium generum fugabat acupunctura inter quas duas prosopalgias mentionis dignas esse credo.

Una ex istis a quatuor annis miserum quemdam torquebat; medicationes fere omnes magis idoneae et energicae in usum tractae fuere, sed nullum tulerunt levamen; status aegri infelix et horribilis erat. Acupunctura a Coppola tribus acubus ad sedem atrocium dolorum instituta, misero calmam illico restituit, et quinquies intra decem dies operatione renovata, solum levem reliquit dolorem obscurum, qui aliquos post menses omnino disparuit.

Aloysius Rossetti annorum 53 natus, nevralgia faciali excruciabatur, quae cum dolore nervos palatinos

anteriores retro dentes incisivos maxillae superioris invadenti ingruebat; hic dolor cursum nervi sinistri inter periostium septi nasi et membranam mucosam sequebatur, et ad labium, ad zigoma, ad pinnam nasi, oculum, ad supercilium, ad frontem protendebatur. Numquam penitus deficiebat, motusque faciei, loquelam, masticationemque impediebat, et hinc sub crudelis accessus forma prodiebat, ita ut aeger ejulatus emittere cogeretur.

Varia medicamina in hujuscemodi morbi cura propinata fuere, uti essent sulphas chininae, ferrum aconitum, stramonium, belladonna, ast frustra; hinc Namias cum celeberrimo Rima ad acupuncturam confugerunt.

Ipse octo chalybis acus ad pollicis dimidii profunditatem retro dentes incisivos medios superiores in membrianam mucosam infixit, aeger levem persentiebat dolorem in nonnullarum adplicatione, probabilius ob majorum nervorum laesionem. Acus per octo vel decem horae momenta fixae manebant, et interdum aliqua linea profundius impingebantur. Interne stramonium in usum veniebat. Rossetti a primis puncturis aliquod levamen persensit, hinc molesta sensatione imminuta, nec non frequentia ac gravitate accessuum, illos ad eas repetendas et multiplicandas inducebat. Duobus diebus in quiete transactis, eamdem in regionem majori in numero acus infixae fuere, et nonnullae sinistrorsum in septum nasi, in pinnam, in labium, et in genam sinistram.

Nevralgia retro dentes incisivos imminuit ast in partibus vicinis et sub orbita sinistra increvit. Interea in istas post tres dies quietis, praeter solitas acus, in os et in nasum decem et octo vel viginti acus affixere.

Fortis tremor aegri, facies pallida, pulsus parum sensibilis ad carpum, calor cutaneus valde imminutus operationem sequebantur; sed brevi talia incommoda evanuerunt, et remedii emolumentum valde conspicuum adparuit. Vis doloris ad supercilium sedem suam fixit, ubi egregius Rima novis puncturis acuum numerum augendo dolorem est persecutus; ex quibus fugatus ad regiones primitus adfectas permeavit, ast vero minima vi, ita ut vicinae salutis spes affulgeret. Et re quidem vera acupunctura quinquies vel sexies repetita, post trium vel quatuor dierum intervallum, praesertim

illis in regionibus ubi nevralgia confugiebat, sine aliis auxiliis, praeter stramonium, triginta diebus curae Venetiis transactis, Rossetti et loqui et libere comedi, et ad duram vallis incolae vitam potuit reverti, omni expers accessu, quum vix molesta sensatio in partibus per tot annos affectis ei superesset.

Nonnullae pleurodyniae vincebantur ab acupunctura; ex istis unam tali ratione curasse nobis Morand testatur, quae cum tussi, respiratione difficili et excreatis sanguine commixtis sociabatur; et tantum una acus adplicatione ab ipso fugabatur.

Duos etiam dolores cordis indolis rheumaticae acupunctura debellavit. Unus adgrediebatur famulam domini Churchill et indolis illum esse rheumaticae tum causae tum prima sedes et translatio inde ad alium locum sat clare demonstrabant. Erat jam secunda vix qua aegra cruciabatur. Remedia eadem quae prima vice ipsum fugaverant, frustranea inveniebantur. Dolor adeo intensus fiebat ut quiscumque levis corporis motus dolorosissimus evaderet. Infelix ne quidem verbum articulare poterat, quin ejus exacerbarentur cruciatus. Acus ad profunditatem infixa pollicis unius imminuit mirabiliter phaenomena et profundius protracta siluit dolor eo loco et ad thoracem migravit, ex quo etiam propellebatur.

Alter illi similis erat, qui curabatur a Peyron, dolor scilicet cordis intercurrens, qui per quatuor annos miseram torquebat foeminam, et etiam hic indolis rheumaticae judicabatur. Ejus accessum nunc rigiditas comitabatur cum subsequa ferrea musculorum omnium contractione, nunc loquax delirium et saepe palpitationes organi adfecti insurgebant: accessus a quindecim minutis ad tres perdurabant horas. Actum fuit de acupunctura. Prima acus terdecim lineis longa cor versus directa, nullum excitavit dolorem, sed solum solita rigiditas, contractiones musculares et delirium supervenere. Talis status per decem duravit minuta et quasi e somno expergefacta de praeteritis inscia videbatur; dolor vero adhuc fortiter continuabat.

Infixio alterius acus subsequebatur pariter a delirio magis intenso et loquaci, quo perdurante, tertia octodecim linearum adplicabatur, quae immediate accessus vicit et deliquium produxit.

Acus longitudo, ejus directio et isochrona oscillatio cordis pulsationibus, satis ipsam cor procul dubio feriisse demonstrabant. Dolor adhuc parvo perstavit tempore et levissimo gradu, usquedum salus completa fuit restituta.

Nonnullae brachiales nevralgiae pariter ab acupunctura felici cum eventu pertractabantur, ex quibus illa a Riberi recordata, mentionis digna mihi videtur. Juveni cuidam annorum viginti, temperamento sanguineo-nervoso donatae, sat bona corporis constitutione praeditae phlebotomia ad brachium instituta, artus automatice flectebatur, tamquam sine vita procidebat, et continuo prehendebatur tremore. Eodem tempore crudelissimus ingruebat dolor qui ex loco incisionis per totum artum sese extendebat, praecipue digitos invadendo et ex istis medium prae aliis. Per decem menses et dimidium, solum frictiones cum alcohole, adplicationes unguenti belladonnae et oleum olivarum adhibebantur. Dolor nunc magis nunc minus intensus fiebat. Confugiebatur ad Riberi qui de nevropathia indolis erectilis judicavit. Excitantia nervina in usum vocabantur et etiam deinde belladonna, hyosciamus et acidum hydrocyanicum ad locum doloris, sed fere inutilia evadebant. Ad acupuncturam tum deveniebatur acubus subtilissimis ad brachium et praecipue juxta nervi mediani decursum. Per duodecim vices operatio institueabatur; numerus acuum erat a duodecim ad viginti; sub quacumque operatione dolor sedem mutabat, tandem post duos menses istius curae omnino disparuit.

Asthma perantiquum, qui cum accessubus suffocationem minantibus sese ostendebat, a Chemin auferebatur cum tribus acubus transversaliter dispositis ad regionem epigastricam in abdomen penetrantibus.

Chemin gastralgiam quidem cum acupunctura debellavit; hic morbus a sex annis foeminam cruciabat, et cum constrictione ad scrobem cordis, sensu anxietatis, vehementi dolore, vomituque pertinaci sese offerebat, sudor quoque, debilitas aderant, nec non omnia phoenomena tristem finem indicantia. Acus aurea in centrum epigastrii infixa, ad profunditatem duorum pollicum morbum fugavit.

Morand haemathemesin periodicam amenorrhoeae

effectum sanavit; vomitus sanguinis nec non dolor epigastricus illico evanuerunt; attamen post horam aliquantulum mitiores iterum adparuerunt.

In China et Japone cholica vehementissima quam populi illi *senki* adpellant, mirabiliter hac solum methodo sanatur.

Ten Rhyne dolorem stomachi atrocissimum, a potubus frigidis corpore aestuante ingestis sanatum vidit.

Rècamier in cholica saturnina acupunctura usus est, quod experimentum est attentione dignum, propter trium acuum disparitionem, et earum in cavum abdominis penetrationem, ex quo delirium et mors die subsequo vespere sunt sequuti, dum morbus fere evanescebat. Harum acuum una peritoneo infigebatur, quod parietem abdominis posteriorem obvestit, altera in mesocolon, tertia maculam rubram in omento produxerat; caeterum cadavericae laesiones malum explicare non valebant.

Morand in vaginae parietes acum duorum pollicum infigens, dolorem uterinum qui leucorrhoeam comitabatur dempsit, attamen post sex dies iterum in scenam venit, ast minori cum intensitate. Duo mulieres, quae ab anno vehementibus doloribus ad uterum; ad lumbos, ad inguines adficiebantur, maximum tulerunt levamen ex acu in vaginae parietes infixa.

Permultae hyschialgiae acupunctura sanatae fuere, quas inter sequentes attentionem exposcunt.

Sancta Fagionato a duobus mensibus continuo nevralgia hujusce generis conflictabatur, quae interdum atrocissima fiebat; varia remedia, qualia praesertim sangiunis missiones, hyrudines, vescicantia frustra in usum fuerunt vocata. Interea dolor creverat, et mulier infelix tales patiebatur accessus, ita ut ad ejulatus mittendos et ad delirium cogeretur. Operatio sub accessu quatuor acubus, quarum caput ex cera hyspanica efficiebatur, ab egregio doctore Zerlotto fuit instituta. Una ad latus externum chordae magnae ubi aegrae videbatur dolorem originem sumere affigebatur, altera in suram, tertia in poplitem et ultima inter fibrias musculares coxae, tali pacto crudelissimi doloris vestigia sequens. Acus erant longitudinis pollicis unius, partim oblique, partim ad perpendiculum, juxta regionum spissitudinem infigebantur, earumque effectus, magi-

verus quam credibilis fuit; dolor enim statim disparuit, torporis sensum atque mirmechismum relinquens. Acus infixae per quatuor horas manserant. Per plures dies sensatio haec molesta perduravit, ast dolor omnino evanuit, et tribus transactis mensibus aegra ad perfectam salutem fuit restituta.

Crudelissima hyschialgia, quae miserum juvenem aetate viginti duo annorum affligebat, ita ut propter gravissimos dolores et impotentiam quemcumque exercendi motum, ad desperationem proximus videretur a Chemin hac methodo felici cum successu curabatur.

Bally pariter nevralgiam cruralem perantiquam acupunctura sanavit.

Plurimi dolores musculares sanabantur. Extat exemplum de dolore musculari rheumatico sedem suam ad latus internum coxae dexterae figenti in homine robusto una acupuctura ab eodem egregio Zerlotto fugato. Cloquet rheumatismos permultos sanavit.

Faber ferrarius dolore acuto ad palatum afficiebatur, qui ad linguam, ad genam dexteram, ad musculum masseterem, ad maxillam, ad aurem, ad musculos et ad cutem colli diffundebatur. Accessus vehementissimi fiebant, quare aeger valde emaciatus ad doctorem Bergamaschi confugit, qui varias acus illas in regiones affixit, ex quibus aeger ad perfectam salutem fuit restitutus, si levissimum excipias dolorem, qui interdum brevi tempore duraturus, enascitur.

Crudelis et pertinax lumbago pariter cum acupunctura a Riberi devincebatur. Haec a decem mensibus virum quemdam torquebat, omnibus fere remediis in auxilium vocatis resistens. Aegro erectio corporis impossibile erat, perdolorificus evadebat motus quiscumque levis etiam in lectulo; feroces erant dolores ad tactum et ad sensum in tota regione lumbari, precipue inter spatia inter spinosa, nec non in omni fere naticarum regione praesertim ad originem nervorum hyschiaticorum, sensatio caloris in omnibus illis partibus, febris, et sitis summopere adaucta aderant. Cum phlebotomia ad brachium et hyrudinum adplicatione ad vasa sedalia, febris mitigabatur, dolores vero eodem perstabant gradu. Acupunctura decies instituta morbum devicit. Post tertiam fugabatur dolor ad sensum, post decimam dolor ad tactum. Quaecumque operatio per duas horas et dimidiam

protendebatur, et decem octo vel viginti acus adhibebantur. Cum vero post mensem circiter novis atmosphaericis vicissitudinibus sese exposuisset, dolor primus iterum in scenam venit, qui verum iterum acupuncturae obbedivit, et sana imposterum vir gavisus est valetudine.

Huc referri meretur lumbago thraumatica a doctore Lacroix descripta. Haec in muliere accidit, dum corbem ponderosum humeribus imponebat; foetum in utero ferebat, et dolorem lumbarem abortus sequebatur, hinc lumbago pristinam amiserat intensitatem. Ast post mensem rapide crevit, somnum atque locomotionem impendiens; cutis regionis lumbaris rubra atque urens depromebatur, pulsus parvus, frequens. Quinque acus in regionem lumbarem per horam et quadrantem infigebantur, quarum ope dolores vehementes cessarunt, et quatuor transactis diebus e nosocomio perfecte sanata exiit.

Hujus generis erat lumbago acuta a Coppola victa.

Vir quidam annorum 36 laboribus incumbens in fovea, illico e lapidibus confringebatur, qua de causa obire debuisset nisi promptum quorumdam auxilium eum ex illo loco subtraxisset. Ab asphyxiae statu revocatus, praeter varias contusiones et leves continui solutiones super diversa corporis latera, ipse conquerebatur de doloribus ad totam columnam praecipue, qui ad pubem et ad inguinem sinistrum extendebantur. Hyschuria supervenit ex qua aeger per biduum exagitatus fuit, cui grumi sanguinis ejectio finem imposuit, quamdam blenorrhoeam relinquens. Post quatordecim dies tantum aeger potuit super asinum ab aegro sese transferre quo idonea adipisci auxilia.

A Coppola observatus miser vix difficulter incedebat, truncus omnino inflexibilis evadebat, sinistra coxa valde ponderosa nec elevabatur neque in circulum ducebatur, et haec erat praecipua causa impossibilitatis deambulationis; dolor enim vehementissimus sub quocumque gressu quamvis levi insurgebat; qua de re aeger cogebatur vel erecta vel horizontali positione alvum deponere. Ad lumbos dolores manifestabantur acuti et pungentes, gravativi ad dorsum. Scapulae rigidae atque graves erant, pubis dolens, et ex

uretra mucosa stillabat secretio, veluti ordinaria blenorrhoea. Hoc in statu quatuor affigebantur acus ad latera extremarum lumbarum vertebrarum et primarum sacralium. Sub operationis actu intensissimus fuit dolor, cui illico lipothymia supervenit, cum pallore faciei, frigore, conatu ad vomitum, defatigatione universali, et sudoribus profusis ad totam corporis superficiem et praesertim ad dorsum et ad lumbos. Post horae dimidium cessante lipothymia, ardorem ad acuum extremitatem sentiebat, nec non plurimorum currentium sensum varia in directione ad dorsum et ad lumbos. Cito aeger levamen ad scapulam et spinam expertus est, ita ut post horam et quadrantem ab acuum insinuatione, maxima cum facilitate sese erigere potuerit. Gravativum pondus ad scapulas et dolor ad dorsum omnino evanuerunt, truncus flectebatur antrorsum adeo ut aeger et sedere et genuflecti potuerit, quod ei prius impossibile erat.

Perstabat adhuc dolor in parte externa et superiori coxae per quem neque in girum duci poterat, et deambulatio dolorifica erat. Rursus igitur duas acus infigebat, unam ad Sartorii insertionem, alteram ad gluteorum profunditatem. Mirabile dictu! post horae quadrantem morbus residuus omnino extinguebatur, et vir laetans, sine ullo morbi vestigio domum petiit, cum blenorrhoea tantum ei superesset.

Alii dolores contusionum effectus ab acupunctura sanati, a Meyranx referuntur. Coppola dolorem ad lienem ex casu ab equo fugavit.

Alius dolor a contusione exortus a Cloquet fuit devictus.

De hoc argumento verba Berlioz huc referam.

Dolores, ipse ait, ex conatu aliquo vel ex labore protracto ab acupunctura aeque sublevantur, ac illi ex contusione inducti. Agricolae mihi quotidie argumenta hujusce veritatis praebent. Opifex qui pondus nimis grave sublevat; vinitores qui valde deffatigarunt brachia cum pondere ligonis, saepissime conqueruntur de doloribus ad renes, et ad pectoris regiones.

Statim post primam acus introductionem perplurimi ita illico sublevantur, ut facillime credant quod medicus magica ope utatur, imo aliqui in hanc suspicionem veniunt.

Praeterea Cloquet dolores a causis mechanicis permanentibus ortos sanavit, dolores a carie pelveos, a tumoribus albis, a fractura radii, ab impetigine syphilitica pendentes, dolores symptomaticos coxalgiae, et tandem dolores laucinantes, qui testis tumefactionem comitabantur.

Acutissimus podagrae accessus a Chemin cum acupunctura sanabatur.

Neque tantum dolores sed etiam spasticae adfectiones curantur, vel sint indolis nervosae vel a causis mechanicis et thraumaticis pendeant, et praeter spasmos tonicos et clonicos istarum; etiam musculorum quae hinc procedit inertia, huic validi obtemperat influxui.

Cloquet colli torsionem sanavit a violento capitis versus dexterum latus rotationis motu; ex quo dolor ad regionem lateralem et posteriorem colli ejusdem lateris insurrexit, atque permanens capitis versus sinistrum latus conversio, quod musculorum morbo prehensorum inertiam denotat; acupunctura post 45 horae momenta cuncta phoenomena evanuerunt.

Finch duas affigens in musculos masseteres acus, statim trismum ob vulnus, a causa contundente productum sanavit. Chinenses autem, ut Ten Rhyne refert, simili ratione tetanum ipsum curant.

Chemin pariter trismum qui ab octo diebus infelicem quamdam vexabat, adeo ut fame et dolore tristis timeri videretur finis sola unius acus infixione fugabat.

Cloquet diplopiam, contractiones musculares permanentes, articulationum rigiditates sanitati restituit.

Ripelet sequens debemus morbi convulsivi factum, utiliter ab acu modificati.

Aeger posteaquam ex casu, cartilago ensiformis interius per vim fuerit propulsa, convulsionibus ad abdomen, ad diaphragma, ad collum, ad caput afficiebatur. Primae acus in musculum sterno-mastoideum infixae contractionem dissiparunt. Convulsiones autem repetebantur, sed statim ac acupunctura in usum veniebat, evanescebant.

Haime puellam 24 annos natam sanavit, quae ab anno decimo quinto, quo primitus mestruis salutabatur imposterum, continuo insolitis atque permolestis affectionibus nervosis conflictabatur, cum frequenti, sonoro

atque effreni singultu, qui quum suspendebatur, convulsiones partiales vel alia symptomata in scenam veniebant: Haime plurimis tentatis remediis, ad acupuncturam confugit; quam ad regionem epigastrii, sub Bretonneau oculis instituit, atque ex hac prima punctura, perfecta quies et integra, singultus per tres dies suspensio sunt sequuti. Quum morbus iterum invaleret, operatione repetita, effectus semper istantaneus atque validus fuit obtentus.

Huc referam morbum valde curiosum a doctore Berlioz devictum in muliere 24 annorum. Timor fuerat causa et erat febris intermittens, cujus breves accessus inter horam primam et secundam post meridiem et octavam vel nonam vespertinam ingruebant. Frigus extremitatum inferiorum, siccitas totius corporis molesta, color genarum violaceus, oculorum splendor, dolor capitis et epigastrii, qui videbatur comprimi, accessus praenunciabant. Ista phoenomena a duobus annis perdurabant, et anorexia, macies marasmo proxima prognosin nunciabant funestam. Plurima adhibita remedia, vel nocua vel inutilia, pauca aliquod attulerant levamen. Acupunctura ab ipsa aegra perfecta, acus prius ad perpendiculum dein aequidistanter in parietes abdominales infigens, per tres dies accessus suspendit, quae operatio omni tertia die repetita, post sex menses febrim fugavit. Attamen tribus circiter annis transactis aegra iterum ad acupuncturam confugere fuit coacta, ad quam efficiendam quum acu capite non munita usa esset, ita in muscolos sese immisit, ut subduci non potuerit. Versus hypochondrium sinistrum est progressa, et donec sub certis motibus, et propter alimentorum in ventriculum descensum, sensationes concitavit doloris, aegra perfecte ab omni phoenomeno morboso libera evasit, sed prouti corporis extranei cruciatus evanescebant, aliquis febris antiquae accessus in scenam prodiebat, donec opium harum sequelarum triumphum egit.

Mulier 35 annorum tempore menstruationis, terrore percussa, illa periodo et per sequentes plures fuit suspensa, statim dolores lancinantes ad uterum et nonnullos post menses gravissimi hysteriaseos accessus insurrexerunt. Hinc haematemesis, diarrhoea, pneumonia, cephalalgiae dirissimae, vivus dolor constans ad

uterum, ex quo organo omnia alia phoenomena videbantur originem sumere. Sex supra triginta venae sectiones, hyrudines, moxae, balnea frigida, cujuscumque generis antispasmodica, tonica, purgantia, emetica remedia repetita, cura mercurialis ad salivationem, cicuta, cauterium, vix potuerant symptomata secundaria sedare; ast dolor uteri atrocissimus perstabat, menstruatio deficiebat, etsi manualis exploratio nullam detegeret organicam laesionem. Tribus acubus ad profunditatem pollicis unius et dimidii, in parietes vaginae infixis (uti refert Morand qui historiam pernarrat) ibique per 90 horae momenta relictis, dolor ille qui ex utero, ad abdomen, ad lumbos, ad inguines et ad genum usque proserperat, statim evanuit , et decem diebus perfectae quietis elapsis, vires recepit. Imposterum levis dolor iterum comparuit, quem post mensem haematemesis, dyspnoea, aedemathia generalis sequebantur, ita ut videretur extremum imminere fatum. Acupunctura in hypochondria et ad sterni apicem instituta; dolor uterinus, vomitus, respirationis anxietas siluerunt, dedolationem tantum abdominis et aedemathiam relinquens, ast duae acus ad latera umbilici infixae, sanitatem perfectam tulerunt.

Duas ophthalmias chronicas sanarunt cum acupunctura Dantù et Renard.

Thion congestionem oculi tali methodo curavit.

Carraro eam in asphyxia ipsa tentavit, experimenta instituit in felibus qui in aqua immersi usquedum omne vitae inditium desideraretur, omnibus auxiliis ad eos in vitam revocandos adhibitis acupunctura ad cor instituta, iterum vivere caeperunt.

INDICATIONES

Ex istis factis ergo credo quod sequaentes erui possint indicationes.

In nevrosibus praecipue, ex his iterum nevralgiae praeceteris salutiferam agnoscunt acum, uti sunt cephalalgiae, gastralgia, cholica spasmodica, saturnina, et alii cujuscumque partis dolores, inter quos prosopalgia excellit.

Indicatur etiam in spasmis; thrismo, tetano, tussi convulsiva, asthmate, et singultu.

Nonnulli in paralysibus, ut amaurosi, cophosi eam celebrant.

In Asphyxia quoque indicari potest, felici enim cum successu in felibus tentabatur.

Magno cum emolumento in doloribus rheumaticis in usum vocatur; quos inter, hyschiades, dolores rheumatici cordis, et lumbagines.

Praeter istos dolores, etiam illi a causis thraumaticis exorti sanationem ab acupuctura repetere possunt.

In ophtalmiis chronicis salutares interdum produxit effectus, nec non in hydrope.

Phlogoses acutae nec non omnes morborum formae ab inflammatione dependentes contraindicationem ponunt.

DE AGENDI MODO

Nonnullae hypotheses ab auctoribus ad actionem acupuncturae explicandam prolatae fuere.

Inter quas adfuere qui eam in classem remediorum per revulsionem agentium collocantes, eamdem ei tribuerunt quam vescicantia et synapismi exerunt, actionem, uti Heyfelder, Wendt, Baglivi, Vicq-d'Azir Meyranx, Broussais.

Alii opponunt quod hac methodo morbi devincebantur qui prius moxae, causticis, vessicantibus, aliisque irritantibus et revellentibus remediis potentioribus restiterant. Praeterea hic animadvertendum est, quod eo efficacior acupunctura evadit, quo minus dolorosa. Tandem cum acus praecipue in regionem dolentem affigatur, revulsio locum habere non potest; et tam promptus ejus effectus adparet ad dolores sedandos, ut simplicis irritationis effectus considerari non possit.

Doctor Zerlotto remedium tamquam nervorum actionem infringens habet, ex eo quod fere nullum afferat in paralysibus levamen. Huic actioni ipse tribuit infanticidia, ex cerebri et medullae spinalis punctura producta, quum vulnus impar tanto effectui videretur.

Plerique ex fluido electrico, actionem acupuncturae repetunt, quos inter alii, uti Haime, ex fluidi electrici per acum libero circulo restituto acupuncturae effectum sibi explicant. Alteri per acupuncturam fluidum electricum subtrahi volunt; uti Jules Cloquet, Morand,

Riberi, Giacomini aliique plures, sequentibus suffulti argumentis.

Acus chalybeae in textus infixae colorem assumunt caeruleum ac si currentibus electricis subigerentur. Tangendo acus extremitatem in musculum affixam, hic interdum contrahitur, tanquam in circulo electrico adparatus Voltiani inclusus.

Rarissime ipsam extremitatem attingendo, tremitus sensatio currenti electricae ejusdem adparatus similis percipitur, et scintillae per digitum operantis ex acu nonnunquam proliciuntur.

Tandem acupunctura cum acubus ligneis instituta, nullum salutarem produxit effectum.

Illi qui huic adversantur opinioni exempla exhibent curationis cum acubus capite cerae hyspanicae munitis, quae fluidum electricum haud valet conducere; quibus Giacomini respondet, quod quamvis cera hyspanica electricitatis egressum impediat, tamen acus cum cute externa communicat, quae sufficientem fluidi electrici conductorem constituit.

DE ADPLICATIONIS MODO

Acus quibus Chinenses et Japonenses uti solent, aureae sunt vel argenteae, sed Aeuropei agnoverunt chalybeas magis idoneas esse; hoc enim metallo illae omnes erant, quae pro innumeris experimentis, tot egregiis viris peractis inservierunt.

Acus persubtilis, acutissima, rotunda esse debet, substantiae ductilis ne facile frangatur; una extremitate capite praedita esse debet ne intus procedat, ut alias, proh dolor! accidit, quo in casu tam profundius penetravit ut non amplius ipsam extrahi potuerit. Hac de causa illud remedium, quod pro sanatione adhibere voluissemus, mortis causam forsan evasisset.

Acus variae longitudinis esse potest, ut plus minusve profunde figatur, juxta morbi sedem et aegri nutritionem.

Quoad partes corporis humani trafigendas, nonnulli asserunt quod non semper locum ipsum doloris ferrire necesse sit, sed etiam in aliqua tamen levi distantia effectus suos ostendat.

Alii adsunt qui ullo sive periculo acus ad magnam

profunditatem et in viscera quidem nobiliora figebant. Non defuerunt qui illas in cor, pleuram, splen, vaginam, ventriculum, nervos et vasa majora protulerunt. Haime e. g. assert se pluries acum in regionem epigastricam tanta profunditate infixisse, ut ventriculum procul dubio penetrasset. Coppola bis in foramen suborbitale tam profunde acum infixit, ut secundum quinti paris ramum laesisset, quin ullus tristis succederet eventus.

Arteria radialis ab eodem Coppola feriebatur, et solum gutta sanguinis exiit, sine ullo alio infelici successu.

Peyron cor acubus penetravit.

Bretonneau ex omni parte cor, pulmones, ventriculum, cerebrum, cerebellum nonnullorum catulorum lactantium, sine ullo eorum damno ferivit; et solum levissima sanguinis in pericardio effusio, si acus crassior erat inveniebatur.

Nonnulli e contra tantum in textum cellularem acus figunt.

Acus vero ad sedem morbi cum diligentia dirigendam esse plerique monent, viscera nobiliora et centra nervosa evitando.

Adplicationis modus varia esse solet. Nonnulli acum infigunt malleo leviter concutiendo. Nonnulli digitis ipsam spiraliter intus ducunt; alii vero cum indice ejus caput premunt, dum pollice et medio ipsius cursum dirigunt; haec quidem juxta plures optima est adhibendi methodus; hac enim ratione facilius ad morbi sedem ducitur, et profunditas ipsi limitatur.

Quoad acuum numerum auctores etiam discrepant, alii duas vel tres adhibendo, alii plures ut quindecim et viginti.

Quantum autem temporis spatium acus infixa manere debeat, varimode auctores putant. Aliqui, quos inter Riberi, longiori tempore ipsam in loco relinquunt, usquedum scilicet effectus obtineant salutares, aut aegris incommoda evadat. Contra alii post breve temporis spatium ipsam extrahunt, et potius operationem repetunt Chinensium exemplum tali modo sequendo, istius operationis magistrorum.

Etsi plerumque prima acus infixio illico affectiones praecipue dolorificas sedet, tamen saepius perfecta

sanatio adhuc desideratur; hinc operationem repetere cogimur. Quod si dolor ex una regione ad aliam sese transferat, illum acu insequi debetur, usquedum penitus evanuerit.

In extractione acus animadvertendum est optimum esse, eadem qua figebatur directione, illam extrahere, ut acus rupturam praepedire valeamus.

PHOENOMENA ACUPUNCTURA COMITANTIA ET SUBSEQUENTIA

Phoenomena nonnulla sub et post acupuncturam aliquando observanda ab auctoribus referuntur.

Nonnulli uti Churchill acupuncturam ut operationem simplicem et doloris expertem magnis celebrat laudibus.

Pelletan eam nunquam malas post se trahere sequelas, atque omnem dolorem, quem insinuatio acus in cutem suscitat, mox perforatis integumentis communibus cessare, testatur. Interdum intensiores observavit dolores sub hac cutis perforatione, quos tunc sanitatem certo secuturam praenunciasse, dicit.

Subscribit huic sententiae etiam Cloquet et Sarlandière.

Alii auctores contraria referunt; scilicet torporis sensum et mirmechismi notasse; inter quos Coppola hoc in se ipso expertus est.

Praeterea apud auctores exemplum extat, lipothymiarum plerumque fugacium, aliquando vero per aliqua minuta perdurantium, nec non spasmorum uti assert Cloquet. Sic Heyfelder vehementissimas insequi vidit convulsiones et lipothymiam. Beclard fatum narrat, ubi aeger lipothymia valida correptus fuit.

Praeter ista phoenomena sensatio frigoris, delaxationis, debilitas generalis, distensiones molestae, dolores lancinantes in regione qua acus haerebat, aliquando et sudor notantur.

Coppola musculum deltoideum feriendo, sensum liquidi per totum antibrachium decurrentis, nec non molestum observavit mirmechismum.

Churchill aliique sensationem currentis electricae notarunt.

THESES

1. *Acupunctura in plurimis morbis salutifera in nullo damnosa.*

2. *Teoriae omnes partem habent empiricam, illa pessima in qua haec minima.*

3. *In febribus typhoideis clorureta praestantissimum remedium.*

4. *Symptomata haud raro indicationes therapeuticae.*

5. *Ex decem scientiae medicae partibus, novem exacta observatione constituuntur.*

6. *Balbutiei cura per recisionem musculorum linguae commendari meretur.*

7. *Omnium morborum essentia nunc, et in futurum ignota.*

8. *Cranioscopiae studium hucusque scientiam non sistit, sed solum ejus possibilitatem comprobat, et in futurum promittit.*